

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3387

Auteur(s) : Philippe Ier, Boulogne (comte)

Bénéficiaire(s) : Louis VIII, France (roi)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1224, février

Lieu d'émission : Melun

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [Ier], comte de Boulogne, fait savoir que son frère Louis [VIII], roi de France, lui a concédé les comtés de Mortain et de Domfront et la terre de Coutances que le roi Philippe [II], leur père, lui avait donnés. Le roi Louis se réserve en revanche la forteresse de Mortain. Il donne au comte Philippe, en outre, en échange de la terre de Coutances, le comté de Clairmont, un quartier de Dammartin et le comté d'Aumale. Le comte renonce à la rente annuelle de trois mille livres parisis conférée par le roi et ainsi à la toute terre de Coutances.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 320, p. 47-48.

Texte établi d'après a

Ego Philippus, comes Bolonie, notum facio universis presentes litteras inspecturis quod Karissimus dominus et frater meus Ludovicus Francorum.. Rex illustris, habita consideratione et respectu ad donationem, quam inclite recordacionis Philippus, genitor meus, quondam Rex Francorum illustris, michi fecit de comitatu Moritolii et Damfront in Passesio et de terra Constantini, de quibus dictus genitor meus receperat me in hominem, que estimata fuerunt ad octo milia librarum parisiensium annui redditus, donat de premissis michi et heredibus meis de uxore mea desponsata in perpetuum comitatum Moritolii et Damfront cum universis eorum pertinenciis, tam feodo quam domaniis, tam boscis quam planis, ad usus et consuetudines Normannie, cum magna justicia que vocatur placitum ensis. Sed retinet sibi et heredibus suis fortericiam Moritolii custodiendam ad coustum suum. Preterea dictus frater meus michi et heredibus meis in perpetuum donat in escambium terre Constantini et pertinenciarum suarum comitatum Clarimontis et quarterium Domni Martini in feodis, domaniis, boscis et planis, que dictus genitor meus a rectis eorum heredibus emptione legitima sibi comparavit. Preterea dictus dominus et frater meus donat michi et heredibus meis de uxore mea desponsata comitatum Albe-Marle cum pertinenciis suis, excepto castello Mortui-Maris, cum pertinenciis, que Renaudus, comes Bolonie, socer meus, excambiavit ad Danfront et excepto Aguel cum pertinenciis suis, et excepta medietate foreste de Mofflieres, sicut eandem medietatem tenuit comes Guillelmus Pontivi, et terram quam Renaudus, comes Bolonie, socer meus, habuit in Caeto, et terram de Alisiaco, et terram Insule bone, in feodis, domaniis, boscis, planis, sicut dictus .R. comes Bolonie fuit tenens ex eis, et in predictis istis terris ego et heredes mei de uxore mea desponsata habebimus magnam justiciam, que vocatur placitum ensis. Hec autem omnia idem frater meus michi et heredibus meis de uxore mea desponsata donat, salvis donationibus quas sepe dictus dominus et pater meus fecit in terris predictis. Tenebimus autem ego et heredes mei de uxore mea

desponsata terram supradictam de Normannia ad usus et consuetudines Normannie, et terram de Francia ad usus et consuetudines Erancie, de ipso domino et fratre meo et heredibus suis in feodum et homagium ligium et ipse retinet sibi et heredibus suis fortericiam Insulebone custodiendam ad coustum suum. Ego autem ipsi et heredibus suis quitavi in perpetuum tria milia librarum parisiensium, quas ipse conferebat michi annuatim, et totam terram Constantini nec de cetero ego nec heredes mei pote[ri]mus ab ipso nec ab heredibus suis aliquid amplius pro parte terre reclamare. Sciendum est autem quod si me sine herede de uxore mea desponsata mori contingeret, omnia supradicta ad ipsum dominum et fratrem meum et heredes suos libere et quiete reverterentur. In cuius rei perpetuam memoriam, presentes litteras sigilli mei munimine roboravi. Actum Meleduni anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo tercio, mense februarii.